



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CUM NOS SOLLICITO** BEATAE MARIAE VIRGINIS DE
FATIMA SIMULACRUM
QUOD IN TEMPLO SERVATUR S. PETRI APOSTOLI IN URBE
QUAM WADOWICE VOCANT DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum Nos sollicito quidem
studio Beatissimam Virginem Mariam usque prosequimur, tum etiam, quotiescumque de eiusdem gloria cultuque agitur
apud fideles augendis, operam esse dandam arbitramur. Inter autem Poloniae fines probe scimus Ipsi christianos
vehementer colere caelestem Matrem. Quam rem non modo dilaudamus verum et omnimodis favemus. Quapropter
libenti sane animo magna pietate, instantibus Venerabili Fratre Nostro Francisco S.R.E. Cardinali Macharski,
Archiepiscopo Cracoviensi, ipsiusque fidelibus, Beatae Mariae Virginis effigiem de Fatima, quae in templo S. Petri
Apostoli servatur urbis quam Wadowice incolae vocitant, sacro diademate Nos sollemniter coronavimus Ipsi, in amata
hac urbe consistentes, apostolico in Poloniā itinere suscepto. Ceterum minime de memoria decidit quod inde a pueritia
istic sumus experti. Nunc autem in Dei Matrem devotionem et illius diei recordationem placet revocare, quae benignis
oculis cunctos respiciat, cunctos supernis beneficiis cumulet, qui ad eandem fidenti anno decurrent. *Datum Romae,*
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Martii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto
decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana